

honesto Thuriro Niclesson, latori precencium, in quindecim solidis grossorum turonensium vel in quindecim marchis denariorum nouorum skaniensium teneri et esse veraciter obligatum, in festo sancti Michaelis archangeli proxime nunc futuro ytique et integraliter persoluendis, pro quibus quidem denariis sibi bona mea omnia in Mudenæ et Gestløse cum agris, pratis, siluis, pascuis, piscaturis, molendinorum locis, siccis et humidis, extra sepem et infra, quocumque nomine censeantur, in-pignero per presentes, tali ratione prehabita, quod si dicta bona in termino pre-asumpto non redimero, extunc idem Thurirus de dictis bonis fructus, redditus et obuenciones a festo sancti Michaelis anno reuoluto percipiat annuatim, donec summa pecunie totaliter et integraliter fuerit persoluta, in sortem principalis debiti minime computandos. Si vero dicta bona redimere me Deus permiserit, extunc dicto Thu-riro nullum precium vel valorem porrigam vel exsoluam nisi quindecim solidos grossorum turonensium in denariis grossorum et sterlingorum vel in quindecim marchis denariorum nouorum skaniensium in pecunia numerata. In cuius rei testi-monium sigillum meum presentibus est appensum. Scriptum anno Domini m^o cc^o c^o quinquagesimo quinto feria quinta proxima post ebdomodam pasce.

Sigill (björnlår utan sköld): . . NICOLAVS NICOL . .

Förut tryckt hos von Möller, Forn-Handlingar rör. Halland, s. 80.

5110.

1355 April 19.

Arnö.

Ärkebiskop Petrus' fullmakt för Nikolaus Asonis att vara vicarius perpetuus vid Vårfrukyrkan i Uppsala.

Orig. på perg. i Sv. Riksark.

Petrus, miseracione diuina archiepiscopus Vpsalensis, dilecto filio domino Nicholao Asonis, vicario perpetuo in ecclesia beate Virginis Vpsalie, dileccionem in Domino et salutem. Cum in iure caueatur, vt qui ecclesiam habet parochialem dignitati vel prebende annexam, in ea habere debeat vicarium ydoneum et perpetuum canonice institutum, nos te in ecclesia beate Virginis Vpsalie predicta, pre-positure ecclesie nostre Vpsalensis annexa, vicarium perpetuum ordinandum duximus, statuentes, vt de ipsius ecclesie prouentibus preposito eam optinenti quindecim marchas denariorum vsualium in duobus terminis, videlicet sex marchas in octaua epiphanie et nouem marchas denariorum infra octauam pasche, annuatim soluere, donec fundum presbiteralem ad eandem ecclesiam spectantem per culturam debitam ad fertilitatem congruam redigere valeas, ac de procuracionis archiepiscopalis onere respondere tenearis. Anno tamen quo visitacionis onus sustinueris, ad soluendum duodecim dumtaxat marchas de ipsa ecclesia volumus te astringi. Idcirco ecclesie predictæ tibi curam ac amministrationem in spiritualibus et temporalibus committimus, iniungentes parochianis ibidem, quatinus tibi de omnibus iuribus parochialibus exhibeant iusticie complementum. Datum apud manerium nostrum Arnø anno Do-mini m^o ccc^o quinquagesimo quinto dominica prima post octauam pasche sub nostro sigillo.

Sigillet borta.